



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Quæstiones Canonicae De Decimis**

**Friderich, Melchior**

**Ingolstadii, 17010 [i.e. 1710]**

Caput III. De Exemptis per Consuetudinem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61677)

ligi debet de præjudicio solum modico; unde si hoc sit magnum, privilegium etiam sic concessum erit invalidum, saltem quatenus infert magnum præjudicium.

252 Quando verò pactum vel compositio sequitur privilegium ritè & validè obtentum, dubium videri potest, an per illam tollatur immunitas, si hæc in favorem Religionis data sit, videl. alicui Ecclesiæ vel Ordini Religioso. Ratio dubitandi est: quia tunc illa conventio ex parte Religionis foret expressa privilegij renuntiatio, quæ juxta multos DD. ut paulò antè dixi, fieri non potest. Verùm dicendum est, tale pactum validè & licitè fieri posse, & quod consequens est, per illud tolli immunitatem. Ratio patet: quia non est pactum naturâ suâ malum; non enim est Simoniacum, eò quòd

ista immunitas non sit aliquid spirituale; nec, uti ponitur, pro illa tollenda aliquid spirituale datur, nec aliunde Juri Naturæ, vel Divino, ac Justitiæ repugnat. Neque est vetitum Jure humano; imò hoc in multis casibus hujusmodi compositionem suadet ac mandat, ut patet ex c. 8. & 9. h. t. Neque obstat ratio in contrarium allata de renuntiatione: non enim est renuntiatio absoluta & liberalis (quæ sola vetita est) sed justa conventio, & Religioni, vel ad vitanda scandala, querelas, lites, vel alio ex capite, utilis & conveniens. Hinc ad eam non videtur necessaria confirmatio SS. Pontificis, vel alterius, nisi illius, qui ordinariam potestatem habet ad similia pacta debito modo ac cum, præscripta solemnitate facienda, ut benè observat Suar. *est.*

*l. 20. n. 5.*

### CAPUT III.

#### De Exemptis per Consuetudinem.

#### QUÆSTIO I.

*An à decimis eximat consuetudo non solvendi?*

#### SUMMARIUM.

253. *Quæstionis difficultas & opinionum varietas.*

254. *Opinio quorundam, nec personales nec reales decimas consuetudine abrogari posse.*

255. *Alia, tenens, posse personales, non verò reales.*

256. *Tertia, posse etiam reales, sed non totas.*

257.

257. *Quarta, posse utrasque omnino abrogari.*

258. *Decima, ut sunt necessaria ad sustentationem Cleri, nequeunt ullâ consuetudine tolli.*

259. *Ne quidem personales.*

260. *Possunt utraque tolli & tota, si Clero aliunde provisum est.*

261. 262. *Rationes assertionis.*

263. *Non obstat jus questum Ecclesijs.*

264. *Non est irrationabilis etiam omnimoda exemptio.*

265. *Esset verò, si aliunde Clericis non esset provisum, quàm ex suo patrimonio vel industria lucris.*

266. *Consuetudo etiam legitime inducta tolli ab Ecclesia potest.*

267. *Non peccant, qui propter consuetudinem non solvunt.*

268. *Non possunt exigere Clerici post consuetudinem à subditis legitime præscriptam.*

269. *Nisi provisio, quam aliunde habebant, perierit.*

270. *Successor exigere potest, etsi antecessor vivendo ex proprijs nihil postulavit.*

271. *Induci consuetudine potest, ut pars minor decimâ solvatur, aut de certis solum fructibus.*

272. *Aut, ut debita uni Ecclesie, solvantur alteri.*

273. *Consuetudo jus decimandi explicat.*

274. 275. *Solvuntur contraria.*

313 **D**e Consuetudine solum hinc agimus, acturi seq. cap. de Præscriptione. Quamvis enim sæpe, imò passim, à Juris Interpretibus promiscuè usurpentur, teste Zasio in l. 32. ff. de Leg. & Aretino Consil. 22. re ipsâ tamen plurimum differunt, ut præter alios ostendunt Balbus p. 1. de Præscr. q. ult. & Moneta de Decim. c. 5. q. 4. Nam 1. Consuetudo est jus quoddam moribus utentium approbatum, quod pro lege suscipitur, cum deficit Lex, ut dicitur c. 5. dist. 1. & sumitur ex c. 6. de Test. cog. Usucapio verò seu Præscriptio (hæc enim hodie idem sonant) est adjectio dominij per continuationem possessionis temporis à Lege definiti, ut ait Modestinus. l. 3. ff. de usurp. & usucap.

2. Consuetudo inducitur à Communitate, & jus tribuit immediatè Communitati; privatis verò solum, ut sunt pars ejusdem. Præscriptio verò solum à privatis fit, vel Universitate, Collegio, vel Ecclesia solum prout habet rationem privatæ personæ. 3. Ad consuetudinem requiritur non solum consensus majoris partis populi, volentis obligationem tollere aut inducere; sed etiam legalis consensus Principis. Præscriptio non requirit consensum adversarij. 4. Consuetudo non requirit titulum, requirit verò Præscriptio. 5. Ut vim habeat Consuetudo, non opus est bonâ fide, ut tradit communior DD. opus verò illâ est ad præscribendum. 6. Consuetudo lege Superiorio.

P

perio-

perioris tollitur, non item dominium præscriptione acquisitum. 7. Consuetudo est favorabilis & latæ interpretationis, odiosa verò Præscriptio. Has aliàsque differentias ex Bald. Innoc. Hostiens. Butr. Joan. Andr. & Felin. latè tradunt ac legibus firmant Balbus & Moneta *ll. cc.* An verò consuetudine acquiri possit immunitas à solvendis decimis, difficillima quæstio est, ut ait Guttier. *l. 2. can. 99. c. 21. n. 31.* & confusè à multis, à multis imperfectè, universim magna opinionum varietate, agitata. Illi præcipuè Canonistæ in ea multum sunt implicati, ut ait Azor *tom. 1. l. 7. c. 26. q. 2.* qui tenent, decimas esse Juris Divini; cum ex una parte fateri debeant, consuetudinem non valere contra Jus Divinum: ex altera verò parte videant, eas in multis Provincijs, in Italia nim. & Græcia, Clericis vel Ecclesijs non solvi. Unde Anton. Butrio in *c. 14. h. t.* ait: *Nescio, quid dicam, nisi quòd omnes damnantur non solvendo.* Pariter Andr. Hispan. *reg. 1. de Decim.* liberè pronuntiat, quòd omnes non solventes sunt filij perditionis, non obstante quacunque consuetudine, uti refert Rebuff. *q. n. l. n. 26.* Verum longè fatius est, damnare illam Veterum opinionem, quæ tenet, decimas Jure Divino deberi, quàm homines non solventes: rejectà autem hac opinione, uti cum cõmuni hodie DD. eam rejeci à *n. 36.* nihil est, quod

damnationem suadeat eorum, qui ex consuetudine, præscriptione, vel privilegio illas non solvunt.

I. Igitur aliqui universim docent; decimas nec prædiales nec personales tolli consuetudine posse, vel totas vel ex parte. Ita Innoc. Gloss. ac alij in *c. 32. h. t. Marta de Jurisdic. p. 4. cent. 1. cas. 24. n. 22.* Nicol. Reüsner. *vol. 2. consil. 11. n. 49.* Hunn. *Encyclop. p. 5. tit. 2. c. 3. n. 5.* ac latè propugnant Perez in *l. 1. ordin. tit. 5. l. 5.* & Andr. Hispan. *de Decim. q. 1. n. 13. & 15.* Limitant tamen assertionem & dicunt: nisi à Romano Pontifice sit approbata. Quæ limitatio gratis fit. Vel enim dicunt, decimarum obligationem esse Juris solum humani? Et tunc consuetudine tolli potest absque Pontificis approbatione, cum ad illam opus non sit consensu Principis nisi legali. Si plus non velint, nemo est, qui refragetur. Vel asserunt, uti asserunt, imò supponunt, illas deberi Jure Divino? Et sic non proderit Pontificis approbatio, cum hic neque ex parte legem Divinam tollere possit, ut fuse probat Covarr. *l. 1. var. c. 17. n. 8.* Dicent fortassis, posse Pontificem suo & Ecclesiarum jure cedere, sicque approbare consuetudinem, non directè mutando Jus Divinum, sed indirectè, subtrahendo videl. ejus materiam; sicut qui remittit jus sibi ex alterius promissione natum, tollit promittentis obligationem, quin faciat mutationem Juris naturalis

turalis, vi cuius ad implenda promissa tenemur. Verum negatur paritas inter hunc casum & nostrum: nam Jus naturale non obligat absolute ad standum promissis, sed solum, si ille velit, cui jus ex contractu quaesitum est, vel qui habet dominium: potest enim iste cæteris paribus illo se abdicare pro arbitrio. At verò si Jure Divino debentur decimæ, Deus earum solutionem præcepit non solum in commodum suorum ministrorum, sed etiam in recognitionem supremi sui dominij, & pro cultu divino, construendis & ornandis Ecclesijs, alimentis pauperum &c. quos fines à Deo intentos tollere, non videtur esse in potestate Ecclesiæ.

355 II. Alij ajunt, decimas prædiales ne minui quidem posse: posse verò tolli totas personales. Ita Hostiens. Roch. Curt. Felin. Turrecrem. Parisius, Baldus, alijque, quos referunt Covarr. l. 1. var. c. 17. n. 8. & Fern. Vasq. l. 2. controv. c. 87. n. 8. Deducunt istud ex sua illa opinione, quæ dicunt, prædiales decimas esse Juris Divini, personales solum humanæ.

356 III. Panorm. Fulgos. Socin. ac alij, quos refert idem Vasq. l. c. & Guttier. l. c. n. 31. asserunt, tolli nec has nec illas consuetudine posse; posse verò minui, ita ut loco decimæ vigesima, vel trigesima pars præstetur. Idem sentire videtur S. Thomas 2 2. q. 87. art. 1. & quodlib. 2. art. 8. & communem esse testa-

tur Boërius in consult. Bituric. tit. de consuet. §. 12. eandemque sequitur Guttier. l. c. n. 34. Marta de Jurisdic. p. 4. cent. 1. c. 24. n. 22. S. Richard ad rubr. C. quasi longa consuet. Nicolaus Reusnerus vol. 3. consil. 11. n. 49. Hunn. Encyclop. p. 5. tit. 2. c. 8. n. 5.

IV. Denique alij sentiunt, decimas abrogari consuetudine totas posse, modò aliunde Clerici congruam sustentationem habeant. Hanc Guttier. cit. n. 34. ait teneri à Menchaca, esseque singularem, neque veram, vel tenendam. Sed reverà communis est, si accipiatur intra limites, intra quos eam proponemus, & sequemur. Extra illos verò nemo eam unquam videtur tenuisse.

Assert. I. Consuetudo quantumcunque longa non potest tollere obligationem decimas solvendi, in quantum hæc necessaria sunt ad congruam sacrorum Ministrorum sustentationem. Ita cum S. Thomas cit. quodlib. 2. n. 8. omnes Canonistæ, & Theologi. Ratio patet: quia Jure Divino tam positivo, quam naturali, debetur Ministris sacris stipendium suorum laborum, & congrua ac honesta sustentatio. Atqui Jus Divinum tolli consuetudine non potest: hæc enim est lex humana non scripta, & sic tam parùm tollere potest Divinam, quam parùm hæc tolli potest Lege scripta humana.

P 2

Limi-

259 Limitat hanc assertionem Moneta *l. c. n. 92.* quoad decimas personales, atque has Jure tantum humano introductas esse etiam quoad substantiam, ac idcirco consuetudine absolute tolli posse: addens, hanc esse opinionem Hostiens. Felin. Covarr. Paris. Rebuff. ac communem Canon. & Theologorum. Verum hæc limitatio nec necessaria est, nec absolute vera. Qui enim asserunt, abrogari posse decimas personales, supponunt, ex prædialibus vel aliunde sufficientem sustentationem habere Ministros Ecclesiæ. Unde si alicubi prædiales ad eandem vel non sufficerent, v. g. ubi pauca sunt prædia, & lucrum ferè omne ex negotiatione habetur, vel consuetudine essent sublata, solverentur verò personales, hæ non possent abrogari, nisi aut resuscitarentur prædiales, aut aliunde dictis Ministris provideretur. Igitur quoad præsentem casum non est discrimen inter prædiales & personales decimas, sed hæ æquè ac illæ necessariò & non obstante contraria consuetudine solvendæ sunt, si ad dictam sustentationem sunt necessariæ; sicut è contrario etiam prædiales abrogari possunt, si ad dictum finem necessariæ non sunt.

260 Assert. II. Decimæ tam prædiales quàm personales consuetudine tolli absolute & totæ possunt, si aliunde ex bonis fidelium & redditibus Ecclesiasticis honestè vive-

re Clerici possunt. Ita tradunt Glossa in *c. 6. 10. q. 3. & in c. 32. h. t.* Abulens. in *c. 22. Matth. q. 10 s.* Menchaca *l. 2. Contr. Illustr. c. 89. n. 8.* Sotus *l. 9. de Just. q. 4. n. 1. ad 4.* Covarr. *cit. n. 8.* Azor *cit. q. 2.* Fern. Vasq. *l. c. Gabr. Vasq. tr. de Benef. dub. 2. n. 13. 15. & 16.* Suar. *c. 12. n. 8.* Barbosa *de off. Par. c. 28. §. 3. n. 64.* Ant. Faber *l. 1. Cod. tit. 3. de fin. 21.* Delbene *de Immun. Eccl. c. 8. dub. 29. sect. 2. n. 1. & 20.* Palao *tr. 10. disp. un. pun. 4. n. 1.* Gonzal. in *c. 20. h. t. n. 2.* aliique. Nec dissentit Rebuff. quamvis longè aliter loqui videatur: ait enim *q. 13. n. 43. & 44.* non valere consuetudinem non solvendi decimas, nisi eadem consuetudo habeat, ut detur aliquid pro ipsis decimis, quo videlicet honestè sustententur Ecclesiæ Ministri. Idem re ipsa sentiunt omnes illi, qui tenent, decimas quidem totas abrogari consuetudine non posse; posse verò quoad quotam: supponunt enim, si totæ tollantur, non fore Clero sufficienter provisum de honesta sustentatione, quæ ipsi Jure Divino debetur.

Probat. I. ex *c. 32. h. t.* ubi dicitur, ab aliquibus Gentibus decimas de more non solvi, quamvis censeantur nomine Christiano. Neque hæc earum consuetudo reprobat. Eod. cap. sic statuitur: *Illæ quippe decimæ necessariò solvendæ sunt, quæ debentur ex Lege Divina, vel loci consuetudine approbata; ergo illæ non sunt necessariò sol-*

solvendæ, contra quas stat loci consuetudo; nisi debeantur Jure Divino. At hoc Jure non debentur, nisi necessariæ sint ad honestam Clericorum sustentationem. Accedit, quod juxta *c. 4. c. 18. c. 20. h. t.* in controversijs circa decimas est recurrendum ad consuetudinem. Cum igitur consuetudo in decimis multum possit, & vi ejusdem solvi illæ possint non illi, cui de Jure debentur, sed alteri, non est ratio, cur per eandem non possint eximi domini prædiorum. Imò à fortiori, si per consuetudinem decimæ transferri possunt, & illi tribui, cui de Jure non competunt, liberari vi illius possunt domini prædiorum, cum plus sit alicui jus positivum concedere, quàm tantum immunitatem ab obligatione.

262 Probatur II. ratione. Decimæ in lege Gratix debentur lege tantum Ecclesiastica: ergo abrogari hæc poterit contraria consuetudine, sicut aliæ Leges Ecclesiasticæ. Neque enim vel ratio vel Jura suadent, consuetudini minorem vim inesse quoad hanc legem de decimis, quàm quoad alias; cum universim & contra omnem legem humanam valeat, nisi in aliquo casu Legislator eam expressè reprobet, & introduci vetet, irritam ac invalidam declarans. Nullibi autem Jura invalidam declarant consuetudinem non solvendi decimas, sed potius eidem vim expressè tribuunt juxta dicta *num.*

*præced.* Itaque si Clerus in aliquo loco congruam & decentem sustentationem habet, videl. vel ex primitijs aliisque oblationibus, vel ex prædijs & bonis immobilibus fructiferis, vel ex censibus per pia legata aliòve modo Ecclesiæ relictis, non est ratio, cur Parochiani ab onere solvendi decimas per consuetudinem liberari non possint. Hinc teste Fern. Vasq. *cit. n. 8.* in Indijs Regi Hispaniarum subjectis non solvuntur decimæ, quia congrua dote Ecclesijs, & earum Ministris aliunde provisum fuit.

Neque valet, si dicas, consuetudini vim quidem esse tollendæ legis, si per hanc nulli quæsitum sit aliquod jus; secus, si sit quæsitum, uti tum per legem de decimis, tum per diurnam possessionem juris decimandi quæsitum est Parochis. Respondetur enim, non aliter quæsitum esse jus, nisi per legem, & quamdiu illà fideles obligantur, ergo si cessat illa lex vel per privilegium, vel per consuetudinem, pariter cessat jus Ecclesijs per illam concessum: præterquam quod non minor vis est consuetudinis, quàm præscriptionis: atqui per hanc tolli potest jus aliterius, ergo etiam per illam.

Limitat quidem hanc doctrinam 264 Covarr. *cit. n. 8.* dicens, *irrationabilem & omnino inquam esse eam consuetudinem, qua laicos omnino ab omnium decimarum, personarum & prædialium, solutione in*  
*P. 3 aliqua*

*aliqua regione provinciave eximoret; etiamsi Sacerdotes ejusdem ibidem spiritualia ministrantes, aliunde quam à decimis congruè possent alimenta percipere. Rationem addit: Nimia etenim hac exemptio est: siquidem ex ea tollitur illa recognitio, quam justissimum & æquissimum est Sacerdotibus ministrantibus spiritualia exhiberi aliquo præstito servitio. Verùm nec consequenter ista dicta sunt, nec adjecta ratio valet, nisi eo, quem mox subjiciemus, sensu accipiatur.*

265 *Assert. III. Non potest consuetudine induci, ut ab aliqua communitate Parocho & alijs Ecclesiæ Ministris nec decimæ solvantur, nec loco earum alij redditus assignentur, tametsi ex proprio vel patrimonio vel industria ac arte habeant, unde decenter vivant. Ita Gabriel Vasq. l.c.n.18. & Suar. l.c.n.8. estque indubitata omnium sententia. Sic intelligendum est, quod modò ex Covarr. attuli. Ratio est: quia talis consuetudo est irrationabilis; cùm sit contra Legem Divinam tam naturalem, quàm positivam, vi cujus dignus est operarius mercede sua, & vivere de Altari debet, qui Altari deservit. Et quidem debentur alimenta Ministris Ecclesiæ, etiamsi aliunde, quàm de redditibus Ecclesiasticis sese alere possint. Ex his igitur provisum illis esse debet ad hoc, ut decimæ aboleri consuetudine possint: quia, ut fideles ali-*

*menta præbeant operarijs sacris, à quibus spiritualia percipiunt, Juris est Divini; at verò, ut præbeant hoc certo modo, videl. per decimas, Juris est solùm humani: ergo hoc ultimum consuetudine abrogari potest, non item prius.*

*Assert. IV. Consuetudine nunquam ita tolli potest obligatio solvendi decimas, ut Ecclesia careat potestate vim illi adimendi, & imperandi decimas. Ita S. Thomas cit. q. 87. a. 1. & quodlib. 6. a. 10. ad 2. Et in hoc sensu verum est, quod dicitur, præceptum decimarum non posse tolli aut diminui per consuetudinem, nisi à SS. Pontifice sit approbata, vel saltem non reprobata. Ratio patet: quia dum legislatores Pontifices & Imperatores vim concesserunt consuetudini inducendi obligationem & tollendi, nec voluerunt nec potuerunt sibi adimere potestatem vel impediendi, ne consuetudo introducatur, vel introductam abrogandi: cùm semper habere debeant potestatem ferendi leges, & latas abrogandi, si bonum Reipublicæ exigat, ac idcirco habent facultatem etiam consuetudinem tollendi, utpote quæ est lex non scripta, & quidem etiam lex ipsius Principis, propter consensum legalem, siæ quo ipsa vim non haberet.*

*Ex dictis placet pro praxi nonnullas consecutiones deducere. Itaque sequitur I. verum esse, quod ait*

S. Ino-



S. Thomas *cit. a. 1. ad 5.* non peccare eos, qui propter desuetudinem decimas non solvunt. Difficilis verò videri potest limitatio, quam addit: *nisi fortè propter obstinationem animi, habentes voluntatem non solvendi, etiamsi ab eis peterentur.* Si enim consuetudine abolitæ sunt decimæ, liberi sunt fideles ab ijs præstandis: unde sicut tunc exigere Clerus jure non potest; ita si illi petitas renuant solvere, nec obstinatum habent animum nec peccant. Verùm explicari S. Doctor potest ac debet de casu, quo illæ vel necessariæ sunt pro honesta Clericorum sustentatione, vel quo consuetudo à SS. Pontifice tollitur & lex solvendi renovatur.

268 Sequitur II. si datur consuetudo non solvendi decimas legitime præscripta, non posse Clericos eas exigere, & injustè agere, si eas velint extorquere, ut ait S. Thom. *quodlib. 2. art. 8.* quia per illam fideles legitime consecuti sunt jus non solvendi, quod nec Episcopi nec alij Prælati Ecclesiæ, multò minùs Principes seculares adimere possunt, sed solus SS. Pontifex, ut bene observant Gabr. Vasq. *l. c. n. 15.* & Suar. *cit. c. 15. n. 11.* Ratio est, quia hoc est juxta jus commune: Episcopi autem non possunt contra jus commune disponere, præsertim in re tam gravi, & fidelibus onerosa. At verò SS. Pontifici semper manet integra hæc po-

testas; tum ex ratione universali, quam dedi *n. 266.* quia semper potest juri cõtrari derogare; tũ quia ejus potestas imperandi est divina, seu immediatè à Deo data, ac idcirco nulla consuetudine tolli aut minui potest. Hinc sicut ante consuetudinem contrariam potuit imponere obligationem solvendi, ita pariter potest post illam introductam. Et licet semper possit cedere suo jure & Ecclesiarum (salvâ tamen semper necessariâ Cleri sustentatione) consuetudinem vel permittendo vel privilegia dando: nunquam tamen privare se potest potestate statuendi hoc jus de novo, quando & ubi expedire censuerit. Ita communissima DD. tradit cum S. Antonino *p. 2. tit. 12. c. 3. §. 16.* Sylvest. *V. decima q. 4. §. quantum.* Covarr. *cit. c. 17. n. 12.* & Guttier. *cit. c. 21. n. 51.*

Sequitur III. si fortè aliqua Ec-<sup>269</sup>clesia priùs habuit propria prædia vel alios redditus, ex quibus aliter poterant Ministri, ac postea injuriâ temporum illis facultatibus labatur, ut eosdem alere non possit, posse non obstante contraria consuetudine peti decimas, etiam absque SS. Pontificis auctoritate, & teneri fideles ad solvendum. Ratio patet: quia hoc casu obligantur Jure divino; quod jus cum certum sit, si certa est illa indigentia & paupertas Ecclesiæ, opus non est declaratione aut decreto Judicis.

Sequi-

270 Sequitur IV. si Ecclesia fuit egens, & nihilominus antecessores Parochi decimas non postularunt, sed ex suo patrimonio vel industria propria ac labore victu & vestitu sibi compararunt, posse nihilominus eorum successores decimas exigere, vel totas, si Fideles legitima consuetudine nondum præscripserunt, vel si præscripserunt, in ea quantitate, quæ ad honestam sustentationem requiritur, aut ut aliunde sibi fiat compensatio, quanta ad dictum finem est necessaria; ac consequenter peccare Parochianos, si renuant dare, quod hac ratione petitur.

271 Sequitur V. & quidem à fortiori, posse consuetudine minui decimas, ut videl. loco decimæ partis solvatur solum duodecima, vigesima &c. Item induci consuetudine posse, ut non solvantur decimæ, quas vocant minutas, v. g. de fœno, fructibus arborum &c. quam consuetudinem passim in Orbe Christiano vigere testantur Covarr. n. 8. §. septimo, & Ant. Faber l. 1. C. tit. 2. def. 44. Valet item, ut non solvantur de fructibus hortorum, vel oleo, avena, foetibus animalium &c. Item ut non certo modo, quo aliàs jure communi solvi deberent, v. g. ut deductis prius expensis, vel primùm, postquam horreis illatae sunt fruges. Quæ omnia insuper patent ex praxi plurimorum locorum.

Sequitur VI. & constat insu. 272 per ex c. 13. 18. 20. & 29. posse consuetudine induci, ut decimæ uni Ecclesiæ aliàs debita solvantur alteri. Hoc tamen Rebuffus g. 13. n. 48. & Moneta cit. c. 5. n. 98. ajunt non procedere de decimis prædiorum, quæ limitibus utriusque Parochiæ proxima sunt: limites enim, inquit, non præscribuntur, ut habetur c. 4. & 5. 16. g. 3. c. 4. de Paroch. Verum supponunt, non posse præscribi decimas limitanei agri, quin simul præscribatur ipse limes: quod tamen nec jura nec ratio docent, videturque tam parum esse verum, quam quòd cum jure decimarum simul præscribatur ager.

Sequitur VII. si dubitatur, cui de jure debeantur decimæ, quo modo sint solvendæ &c. standum esse consuetudine, tanquam justissimo interprete. Benèque observat Covarr. l. c. post Innocent. Felin. Hostiens. ac communem aliorum, in tali casu ad consuetudinem sufficere decennium; sic enim non est contra jus, sed solum juris dubij interpretatio.

274 Duo tantum sunt, quæ dictis obflare videntur, quorumque solutio indidem obvia non est. Obijci potest I. Consuetudine, vel præscriptione nemo liberatur ab obligatione solvendi tributum Principi. l. 6. C. de Præscript. 30. an. ergo multò minus liberari potest à solutione tributi divini, qualis est decimæ,

decima, juxta c. 26. h. t. r. cum Panorm. & Felin. in c. 13. de Præscript. N. conseq. quia tributa immediate solvuntur in recognitionem regis potestatis, decimæ verò immediate ac per se in sustentationem & commodum ministrorum, professio verò divini dominij, & cultus Numinis est solum finis secundario ex constitutione Ecclesie annexus: unde cum per alios actus, nim. per Sacrificia, Orationes &c. primario & multo perfectius exhibeatur, quam hoc speciali modo per decimas, mirum non est, quod consuetudine mutari possit. Absolutè dici potest (quidquid sit de ratione intrinsecâ) Jure Civili non permitti consuetudinem, aut præscriptionem contra tributa, per-

mitti verò Jure Canonico contra decimas.

Obijc. II. Laici non possunt consuetudine vel præscriptione acquirere jus decimandi, ergo neque jus retinendi decimas, quas solvere deberent: quia non solvere decimas idem est, ac ex suo fundo eas colligere. r. neg. conseq. quia jus colligendi decimas est de se spirituale, & idcirco non cadit in laicos; onus autem solvendi est temporale, & idcirco etiam immunitas ab hoc onere est commodum solum temporale, ac universim libertas & exemptio à Jurisdictione aliòve alterius Jure spirituali nihil continet spirituale. Aliud argumentum, quod hinc opponi potest, dissolvi n. 161.

## QUÆSTIO XI.

*Qualis Consuetudo à solvendis decimis eximat.*

### SUMMARIUM.

- |   |  |
|---|--|
| 276. <i>Requisita legitima Consuetudini.</i>  | <i>mis debet esse continuata 40. annis.</i>  |
| 277. <i>Quando sit rationabilis.</i>  | 284. <i>Tempus diuturnum non semper est decennium.</i>   |
| 278. <i>Videtur requiri, ut sit introducta bonâ fide.</i>                               | 285. <i>Ad consuetudinem 40. ann. non est opus titulo.</i>   |
| 279. <i>Non requiri statuitur.</i>  | 286. <i>Lex deficit, si non observatur sciente Principe &amp; tacente.</i>   |
| 280. <i>Non requiritur à SS. Canonibus.</i>   | 287. <i>Sciente SS. Pontifice, non solvi decimas, &amp; tacente, non requiruntur 40. anni ad inducendam exemptionem.</i> |
| 281. <i>Ad consuetudinem, quâ lex Ecclesiastica tollatur, alij requirunt 40. annos.</i> |  |
| 282. <i>Alij tantum decennium.</i>  |  |
| 283. <i>Consuetudo eximens à deci-</i>  |  |

Q Con-

276 **C**onstat ex *c. ult. de Consuet.* Consuetudinem non posse Juri communi derogare, nisi, ut ibi dicitur, fuerit *rationabilis & legitime sit praescripta*. Quod cum procedat de omni consuetudine, quae obligatio vel imponitur, vel tollitur, maxime locum habet in praesenti materia, cum lex de solvendis decimis sit Ecclesiastica, & æquissimo Jure ad exemplar legis Divinae antiquae statuta, simulque per eam acquisitum jus particularibus Ecclesijs & personis. Unde fieri non potest, ut illis derogetur per consuetudinem, quae caret vel unâ ex illis qualitatibus, quibus eam munitam esse voluerunt Legislatores. Itaque certum est, & constat tum ex *tot. tit. 4. lib. 1. Decretal.* tum ex communi omnium DD. quod 1. introducta esse debet à communitate, hoc est, à majori parte populi. 2. actus, per quos inducitur, debent esse plures, & frequentati, saltem extra casum, quo Princeps scit legem suam non observari, nec tamen, cum posset, contradicit. 3. debent illi actus esse voluntarij, id est, nec ex metu, nec ex ignorantia legis facti. 4. non interrupti. 5. debent poni animo abrogandi legem. 6. debet intervenire legalis consensus Principis, contra cujus legem actus ponuntur. Datur hic consensus eo ipso, dum fertur lex, & simul non damnatur quælibet consuetudo contra eam introdu-

enda. Qui enim sic fert legem, permittit vim, quam Jura consuetudini concedunt ad abrogandam legem. 7. debet consuetudo esse rationabilis. Denique 8. legitime esse praescripta, id est, legitimo tempore continuata. De prioribus sex conditionibus non occurrit hic specialis difficultas, bene autem de duabus postremis. Ita ut de septima initium faciamus.

Rationabilis consuetudo esse 277 censetur, quæ lege statui potest, sive, quæ justa censeretur, & obligaret, si lege statuta esset; sive, ut alij, eodem tamen sensu, explicant, quæ est de re honesta & utili Republicæ. Quod alij ulterius sic explicant. Consuetudo rationabilis est, quæ nec legi Naturali, nec Divinae adversatur, nec Jure humano reprobat, & peccandi ansam non præbet, nec alia ratione bono publico contraria est. Ex quibus facile eruitur, consuetudinem non solvendi decimas esse rationabilem, dummodo per eam non subtrahatur Clero congrua ac decens sustentatio; sic enim nec Juri Divino vel naturali vel positivo adversatur, nec reprobat Jure Ecclesiastico, neque peccandi occasionem præbet; immunitate enim per privilegium, praescriptionem, vel consuetudinem legitime obtentâ non peccat, qui non solvit, utpote sublatâ legis obligatione, neque hac immunitate exponitur periculo al-

terius

terius cujuscumque legis violandæ. Nec bono publico adversatur: illud enim solum requirit, ut Clero de congrua sustentatione & Divino cultui provisum sufficienter sit; his autem provisum quandoque esse potest ex alijs redditibus Ecclesiasticis absque decimis.

278 Solum dubitatur, an ad hoc, ut consuetudo non solvendi decimas sit rationabilis, requiratur, bona fide introductam esse. Affirmant Laym. l. 4. Theol. Mor. tr. 6. c. 6. n. 11. Pirhing. b. t. n. 131. Lud. Engel. cod. tit. §. 3. n. 5. Rationem dant, quia Jura sacra consuetudinem malâ fide inductam reprobant, dum dicunt c. 5. de eo, qui duxit in matr. quod diuturnitas temporis peccatum non minuat, sed augmetur, & c. ult. de Consuet. quod tantò sint graviora peccata, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam. Ratio videtur esse manifesta: quia Consuetudo nihil aliud est, quàm actus frequentati; ergo si isti non sunt rationabiles, uti reverâ non sunt, si malâ fide fiunt, neque consuetudo potest esse rationabilis.

279 Assert. I. Ut consuetudo non solvendi decimas rationabilis sit & obligationem solvendi tollat, necesse non est, inductam esse bona fide. Ita sentiunt Suar. tom. 1. de Relig. tr. 2. l. 1. c. 13. n. 8. & 9. Lefs. l. 2. de Just. c. 39. n. 26. §. adverte. Delbene de Immun. Eccl. c. 8. dub. 29. sect. 2. n. 19. Palao tr. 10. disp. un.

pun. 4. n. 6. ac universim de omni consuetudine tradunt Suar. l. 7. de Leg. c. 18. n. 8. & 25. Haunold. de Just. tr. 1. proem. c. 3. n. 136. Palao tr. 3. disp. 3. pun. 2. §. 1. n. 3. Gibalin. l. 6. Scient. Can. c. 2. q. 2. n. 11. & 20. & hoc teste passim alij. Ratio est: quia si consuetudo non sit contraria legi Divinæ, vel bono publico, ordinariè non expedit vigere legem, nam potius poneretur populo lapis offensionis, & petra scandali, ejusque vis jam non tenderet in bonum publicum, sed ad fovenda peccata, & ruinam spiritualem subditorum, cum consuetudo talem in ipsis causet mutationem, ut per eam fiant quodammodo inepti ad legem, utpote quæ stante consuetudine foret difficillima, cum tamen lex debeat esse facilis & moribus conformis. Atqui hæc ratio, ut patet, pariter procedit de casu, quo consuetudo recepta est per actus malos seu scienter contra legem factos, ac de illo, quo subditi bonâ fide contra eandem agunt. Accedit, quod consuetudo ad hoc, ut tollat legem, induci debet animo abrogandi legem, ut tradunt communissimè DD. & manifestum est ex eo, quia consuetudo est lex, lex autem uti statui non potest sine animo obligandi, ita nec tolli sine animo deobligandi. Atqui animum tollendi legem habere subditi non possunt, nisi sciant vigere legem, ac idcirco non inducitur consuetudo per actus ex ignorantia & errore factos,

factos, ut fuse demonstrat Suar. l. 7. de Leg. c. 12. Si verò sciunt legem dari, seque contra eam agere, peccant. Igitur necesse est ad inducendam consuetudinem, ut primi saltem actus mala fide ponantur.

280 Neque obstat, quod ex c. 5. de eo, qui duxit, & ex c. ult. de Consuet. allatum est: ibi enim loquitur Pontifex de actibus contra legem Divinam factis. Præterea sermo est de actibus nondum completâ consuetudine positus; nam si hæc completa est, seu legitimo tempore continuata, tollit legem, ac per consequens malitiam actuum contra eam positorum. Ad rationem adjunctam q. etsi initio non sint rationabiles actus, qui contra legem fiunt, fieri tamen paulatim rationabilem consuetudinem & irrationabilem legem, utpote ad quam observandam in his circumstantiis non expedit subditos adstringi.

281 Difficilior quæstio est, quantum temporis ad hanc consuetudinem requiratur. Receptior opinio est eorum, qui dicunt, de Jure Canonico ad consuetudinem, quæ est præter jus, seu, quâ obligatio inducitur, sufficere decennium; ad eam verò, quâ lex tollitur (qualis est illa, de qua modò agimus) opus esse 40. annis. Ita cum Gloss. & Panorm. in c. ult. de Consuet. n. 11. Jafone, Tuscho, ac alijs tradunt Suar. l. 7. de LL. c. 15. n. 2. Steph. Gratian. discept. for. c. 395. n. 6. Gaillius l. 2. obser. 31. n. 3. Hunn. Encyclop. p. 1. tit.

4. n. 25. Verùm hæc opinio non alio fundamento nititur, quam quòd ad præscribendum contra Ecclesiam 40. anni requirantur. Quòd fundamentum non consistit: tum quia consuetudo nec ipsa est præscriptio, nec præscriptionem involvit; aliàs sicut ad hanc requiritur bona fides, & titulus, ita pariter requireretur ad illam: tum quia aliàs ad consuetudinem contra leges universalis Ecclesiæ requirerentur non jam 40. sed 100. anni, quia contra Romanam Ecclesiam minore tempore non præscribitur. Limitant tamen multi hanc opinionem, ajuntque, etsi ad abrogandam legem, quæ in usum deducta jam fuit, requirantur 40. anni: ad desuetudinem tamen, seu ad tollendam legem nondum receptam moribus utentium, sufficere decennium. Ita latè Felin. in c. 1. de Treug. Covarr. l. 2. var. c. 16. n. 6. Navarr. l. 5. tit. de Excomm. consil. 8. Azor l. 5. c. 4. q. 3. ac alij cum Imol. Butr. Jafone, & Zabarella.

Alij universim ad consuetudinem, etiam illam, quâ tollitur lex Ecclesiastica, moribus utentium jam recepta, censent sufficere decennium. Ita Delbene de Immun. Eccl. c. 8. dub. 29. sect. 2. n. 17. Palao tr. 10. disp. un. pun. 4. n. 2. Card. de Lugo de Just. disp. 7. sect. 4. n. 94. Haunold. de Just. tr. 1. proem. c. 3. n. 1. 30. ubi communiorem dicit, & omninò veram reputat, Gibalin. l. 6. Scient. Canon. c. 2. q. 2. n. 22. 118

fin.

fin. qui ipse quoque communiorem dicit. Rationem dant: quia ad consuetudinem, quæ legem Canonicam abroget, nullum tempus in Jure Canonico determinatum est, ubi enim SS. Canones 40. annos vel tempus immemorabile requirunt, non de Consuetudine, sed de Præscriptione loquuntur: ergo determinatio temporis desumenda est ex Jure Civili; hoc autem requirit tantum longum tempus *C. Quæ sit longa consuetudo.* longum verò tempus sunt decem anni, juxta *l. 1. 2. ac 3. C. de Præscript. long. temp.* & tradunt Bart. Bald. Angel. Panorm. ac alij apud Mynsing. *cent. 5. observ. 41. n. 10.* Ratio ulterior est: quia decem anni sufficiunt, ut censeatur Princeps secularis consentire in consuetudinem suæ legi contrariam: ergo pariter sufficiunt, ut censeatur consentire Pontifex, cum nullibi contrarium expresse sit. Verum etsi hæc opinio probabilissima videatur, si agatur solum de abroganda lege Ecclesiastica, & non tollendo simul jure tertij, aliud tamen dicendum videtur, si per legem jus alicui quæsitum sit.

283 Assert. II. Consuetudo non solvendi decimas non dat immunitatem, nisi 40. annis sit continuata. Ita cum Panorm. Felin. Paris. Archidiac. Alexand. Balb. Decio, aliisque Covarr. *l. 1. var. c. 17. n. 8. 9. Decimo his,* & Suar. *c. 13. n. 7.* ubi ait, ab omnibus Auctoribus hoc tem-

pus requiri. Lessius quoque, etsi in genere admittat, decennium sufficere ad consuetudinem, videtur tamen velut certum supponere *l. c. n. 47.* si illa sit contra jus Ecclesiæ, requiri annos 40. Ratio est: quia licet de tanto tempore Jure communi nihil expressum sit; nam *c. ult. de Consuetud.* solum requiritur, ut consuetudo sit rationabilis, & legitimè præscripta, nec exprimitur, quantum tempus ad legitimè præscribendam requiratur; alia verò Jura, quæ requirunt 40. annos cum titulo, & sine hoc tempus immemorabile, loquuntur non de Consuetudine, sed de Præscriptione propriè dicta: nihilominus quia hæc, de qua agimus, consuetudo non est solum contra legem Ecclesiæ, sed insuper adversus jus, & in grave damnum eorum, quibus decimæ debentur, prudenter præsumi non potest, quòd SS. Pontifex, sine cujus consensu illa nihil operatur, decennio eam induci velit, etsi daremus hoc tempus sufficere ad inducendam consuetudinem contra leges Ecclesiæ, quibus nullum jus cuiquam acquiritur: Princeps enim suà lege, statuto, vel privilegio censeatur solum suo juri, non verò privatorum derogare, nisi hoc exprimat; unde in communi solum facultate, quam contra suam legem concedit, non est censendus velle aliquid detrahere juri alterius.

Accedit, quòd longum tempus 284

Q 3

non

non semper est decennium, ut supponunt, qui consuetudinem admittunt decennalem: usurpatur enim diuturnitas temporis pro 40. annis *l. Qui in Provincia §. 1. ff. de Rit. Nupt.* quod ex alijs quoque legibus probat Cujacius *l. 18. observ. c. 28.* Hinc nihil certi ex Jure sive Civili sive Canonico colligi posse contendunt & totum judicio prudentum permittunt Cujac. *l. 2. observ. c. 1.* Duaren. *de Leg. c. 11.* Gabr. Vasq. *1. 2. disp. 177. c. 5.* Valent. *1. 2. disp. 7. q. 5.* Salas *de Leg. sect. 4.* Molina *tr. 2. de Just. disp. 77.* Basil. Pont. *l. 6. de Matr. c. 5. n. 9.* Gibalin. *l. c. n. 22.* ac alij. Sic juxta communem quoque DD. de qua Gaill. *l. 2. observ. 31. n. 13.* non potest dari certa regula, quæ consuetudo sit rationabilis, sed arbitrio Judicis committendum est, sitne ratione fundata, an corruptela. Si autem nihil legibus definitum, sed Judicis arbitrio standum est, æquitas non patitur, ut hic tam modico decem annorum spatio consuetudinem circumscribat, quando agitur de præjudicio tertij, cum dubium sit, an illud tempus sufficiat etiam ad illam consuetudinem, quæ lex tollitur absque aliorum præjudicio.

285 Assert. III. Ut consuetudine non solvendi decimas 40. annis continuatâ obtineatur immunitas ab iisdem, non est opus titulo. Ita cum Felin. Anton, ac alijs Covarr. *l. c.* Suar. *cit. c. 13. in fin.* Gabr. Vasq. *tr. de Benefic. c. 1. dub. 3. n. 19.* Molina

*tr. 2. de Just. disp. 75. n. 6.* Lessius *l. 2. de Just. c. 39. n. 26.* Palao *cit. pun. 4. n. 6.* Reginald. *tom. 2. l. 20. c. ult. sect. 3. q. 4. n. 96.* Delbene *cit. dub. 29. sect. 3. n. 4.* aliique, quos refert, & sequitur Dianap. *5. tr. 14. resol. 22.* Ratio est: quia Jura Consuetudini absolutè tribuunt vim abrogandæ legis, neque ullibi mentionem faciunt tituli. Unde minus ad illam requirunt, quàm ad præscriptionem: quia frequens & diuturnus usus Comunitatis, accedente consensu legali Principis, habet vim legis: ad legem autem titulus non requiritur; sed solum, ut sit æqua & utilis Republicæ. At si per quadraginta annos observata non est lex, desuetudo contraria jam est æqua, & utilis, quia postquam tanto tempore observata non est, ordinariè non expedit, ut amplius vi-geat.

Haftenus dixi de immunitate à 286 solvendis decimis, quæ obtineatur immediatè vi consuetudinis. Quod tunc fit, quando illa inducitur ignorante Principe: nam si iste sit suam vel antecessorum legem non observari, nec urget populum ad observandum, cum facillè possit, censetur consentire in actus legi contrarios, & sic non amplius habere voluntatè obligandi; quæ intentio si deficit, unà deficit lex, & idcirco hæc, non tam vi consuetudinis, quàm voluntate Principis abrogata censetur. Unde de hoc quoque casu modò agendum est.

Assert.



287 Assert. IV. Si SS. Pontifex scit ab aliqua Communitate non solvi decimas, non requiruntur ad acquirendam immunitatem 40. anni, sed sufficit minus tempus. Ratio patet: quia si SS. Pontifex non vult obligare, cessat obligatio; hic autem consensus potest præsumi etiam ante lapsum 40. annorum. Unde universim de consuetudine, sciente & tacente Legislatore inducta, cum Panorm. *in c. ult. de Consuet.* & Sylvest. *V. Consuetudo n. 6.* docent Lef. *l. 2. de Inst. c. 6. n. 45.* Palao *l. c. n. 2.* Delbene *l. c. n. 16.* & passim Theologi & Canonistæ, sufficere tempus decennio minus; quin sufficere, bis terte contra legem actum esse. Verum cum non semper ex duobus tribusve contrarijs actibus sciente & dissimulante Principe factis præsumi possit ejusdem consensus in cessationem legis, maximè, si ex hac quæsitum sit jus alteri, uti quæsitum est Ecclesijs per legem de decimis, idcirco Judicis erit arbitrari, quandonam censeri possit Princeps consensisse.

## CAPUT IV.

## De Exemptis per Præscriptionem.

## QUÆSTIO I.

An præscribi decimis possit?

## SUMMARIUM.

- |   |  |
|---|--|
| 288. Exemptionem à decimis Clerici præscribunt. | 291. Plenam exemptionem etiam laici præscribere possunt. |
| 289. Negant hoc multi de laicis.                | 292. 293. 294. Ratio assertionis.                        |
| 290. Rationes negandi.                          | 295. Solutio contrariorum.                               |
- 288 Immunitatem à solvendis decimis præscribere Clericos posse, receptum esse dicit Covarr. *l. 1. var. c. 17. n. 10.* Verum etiam ab ipfis omnimodam exemptionem, seu ut nullas solvant decimas, præscribi non posse, etiamsi quis per mille annos viveret, afferunt Domin. *in c. 2. de Præb. in 6. col. ult.* Barbat. *vol. 2. consil. 35. col. 6.* Berlich. *p. 2. concl. 4. n. 24.* ilque omnes, qui tenent, decimas deberi Jure Divino, etiam formaliter sumptas, seu prout sunt determinata fructuum pars.